

Magistratus populi, ac Sadducei Apostolos praedicantes in Christi nomine iniecerunt in carcerem. Maximè Oecumenius rem expendit: Seniores Magistralis, & Sadducei erant graviores personae totius populi, cur per se ipsos injiciunt manus in Apostolos, cur non per satellites, vel alios ministros hoc sperant fieri, quorum proprium erat officium; cur ergo Seniores, ac Pontifices suae dignitatis immemores, coram tanta hominum multitudine manus in Apostolos mittunt? Oecumenius ait: Coram multitudine autem Apostolos vincerunt, ut eos etiam, qui viderant timidiores redderent, & eos, qui crederant imbecilliores reddi oportebat. Tanto impetu Pontifices, ac seniores Apostolos in vinculis alligant, ut ex tanta multitudine videntes timidiores fierent, & credentes imbecilliores, ac infirmiores in fide redderent. At contra accidit; nam ipsi credentes videntes Apostolorum constantiam, & generositatem in Concilio, & Seniores, ac Pontifices nihil responsi haberent, inde ipsi facti sunt firmiores, ac fortiores in fide clarificantes, & laudantes Apostolos; ut patet infra vers. 21. & ideo Seniores ipsi, & Pontifices timore correpti Apostolos liberos dimiserunt, ipsi Seniores, & Pontifices intenterunt timore opprimere credentes, atque e contra accidit, nam ipsi maximo timore repleti videntes quod omnes clarificabant Apostolos, ut dicitur infra vers. 21. de hac re, quod Ecclesia dum impugnatur magis crescit, & augmentum accipit. Multa habes in omnibus meis tomis in Sybillario verbo Ecclesia; & maximè 1. & 2. tom. in Apocalypf.

Act. 4. n. 5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribae in Ierusalem. Num. 6. Et Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali. Num. 7. Et statuentes eos in medio interrogabant: In qua virtute, aut quo nomine fecistis hoc vos?

EXPOSITIO II. Cum Personibus.

21. Vers. 5. Factum est autem in crastinum, Siriacus Postero die congregati sunt Magistralis, in Concilio, quod institutum fuit à Deo, Num. 11. n. 24. Hebraice dictum Sanedrim, componebatur ex 71. viris, nec omnes erant ex sola tribu Iudae, ut dixerunt Ioannes, & Ludovicus in temporum breviario, nec ex solis Sacerdotibus, ut vult Abulensis, sed ex duodecim tribubus eligebantur duodecim Principes, & etiam ex 24. Principibus Sacerdotum, qui totidem eorum familiis praesidebant iussu instituti à Davide, 1. Paralip. cap. 15. n. 6. Hi autem Principes Sacerdotum erant illi, qui aliquando Summum Pontificatum gesserunt, vel à Summo Pontifice gubernante nominati sunt. Hi sunt, qui passim in Evangelio, & in hoc libro Actorum vocantur Principes Sacerdotum, & in hoc Concilio Sanedrim condemnatus est Innocentissimus Iesus. 21. Seniores, qui etate, sapientia ac prudentia, & opinione maximè venerabiles erant, & ex hoc nomine Seniorum multi existimant deduci illa vox Hispanica Senor, & Scriba, qui erant viri sapientes & Doctores, quod ex Hebraeo & Graeco idem valet, ac Literati, quorum proprium erat, ut saepe dixi multis in locis, scripturam explicare, ac interpretari.

Oecum. Apostoli dum impugnantur magis augentur.

Concilium Sanedrim. Num. 11.

Baralip. 15.

Vers. 6. Et Annas Princeps Sacerdotum & prior nominatur, quam Caiphas, utpote Senior Caiphae genero; vel quia re vera erat tunc Summus Pontifex, nec obstat quod Caiphas tempore passionis esset Summus Pontifex, Ioan. 11. n. 49. nam ista duo alternativè quotannis emptum Pontificatum habebant à Romanis, Luc. 3. n. 2. Et apud Hebraeos annus incipiebat mense Nisan, id est Martio, solemnissimo Paschali festo, ac proinde in Paschate antecedenti, qui fuit sacratissimus dies Resurrectionis Christi finitus fuit Pontificatus Caiphae, & incepit alter Annas, ita hanc seriem Nicephorus.

Et Caiphas. Petrus tempore passionis in domo Caiphae timore correptus unius ancillae voce Christum negavit: At vero modo gratia Spiritus sancti corroboratus generosè, ac intrepidè coram ipso Caiphae, ac toto Concilio Christi magna loquitur. Et Ioannes hic fuit unus ex quinque Annae filii, alio nomine Ionathas appellatus, de quo agit Joseph. libr. Belli Judaici cap. 25. postea etiam Pontifex creatus est.

Alexander opibus, virtute, ac potestate clarebat maximè Alexandriae, ubi erat Halabarcha, id est praefectus salis, ut inquit Josephus libr. 20. antiquit. cap. 3. Et quotquot erant de genere Sacerdotalis, Syrus legit ex genere Summorum Pontificum, Arabicus ex genere Pontificatus Sacerdotalis, erant ex genere Pontificio, hi erant Principes Sacerdotum, hoc est viginti quatuor familiarum Sacerdotalium capita; hi enim Principes vocabantur Pontifices, quibus praesidebat Summus Pontifex.

Vers. 7. Et statuentes eos in medio. Oecumen legit: Ipsos posuit in medio, ut ab omnibus circumspicerentur Apostoli. Interrogabant, Arabicus sciscitatus sunt, & dicunt in qua virtute, Graecus In qua potentia fecistis hoc, ut notat Oecumenius per contemptum dicunt hoc non miraculum, sed prodigium artis Magicae, Daemonis viribus existimantes.

QUESTIO III.

Quare Magistratus interrogat Apostolos de operato miraculo claudi, cum valde notum esset fuisse factum in nomine Iesu Nazaraei?

Lycanus existimat quod claudus sanatus simul cum Apostolis incarcerationis fuisset, simulque cum illis nunc in Concilio praesentaretur, & id videtur indicare pronomen hoc, Interrogant Qua virtute fecistis hoc? qui loquendi modus videtur denotare praesentiam hominis. Cum ergo omnibus notum esset miraculum fuisse factum in virtute nominis Iesu; nam D. Petrus patenti, & alta voce dixit claudus cap. 3. n. 6. In nomine Iesu Nazaraei surge, & ambula, cum ergo hoc esset in omnium ore ad quid interrogant?

Respondent primò D. Chrysostr. & Oecumen. quod cum Apostoli essent habiti ut homines idioræ, & vincti, quod praereverentia, ac timore Seniorum, ac Pontificum negarent aliquid ab eis fuisse factum, & forsitan sciebant, quod Petrus in atrio Pontificis unius mulieris voce Magisterum, ac veritatem negavit, Math. 26. Sic etiam reverentia tantorum virorum contingeret, sed eos fessellit malitia eorum gratia Spiritus sancti supervenience.

Secundo D. Chrysostr. Iudaei sibi persuadebant Apostolos non facere miracula virtute Dei, sed arte Magica, ac pacto Daemonis, & quod Apostoli reverentia atque autoritate tantorum virorum oppressi talia de se facerentur. Christus D. ab infidelibus Magicus habitus est, & Magicae artis Doctor, Luc. 11.

22.

Joan. 11.

Luc. 3.

Niceph.

23.

Joseph.

24.

Josephus Syriac. Arabicus.

Oecum. Arab. Graec.

26. Lian.

27. Difficultas quaestionis.

28. D. Chrysostr. Oecumen. Pro auctoritate asstantium non negant veritatem.

29.

Luc. 11.

Joan. 8. Christus & discipuli ab infidelibus, ac Idolis negantibus eorum vetera miracula magni impositores sunt dicti ut testatur D. Augustinus lib. 1. de Conc. Evang. cap. 8. D. Hieronymus epistol. 10. ad Fur. & epistol. 29. ad Marcel. & passim ex Actis Sanctorum Martyrum Anastasii, Sebastiani, ac aliorum patet, quod magici haberentur.

Tertio Oecumen. in praesenti sic ait: Interrogant In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos; Vide autem, quam subdole interrogant; malebant enim Apostolos sateri suum esse opus, quam potentia Christi. Isti seniores, & Pontifices, cum essent valde ambitiosi, & honorum avidi sui similes reputabant Apostolos, ac proinde pro honore, & auctoritate comparanda pro certo sibi persuadebant iniqui seniores, quod Petrus, & Ioannes ipsorum potentia, ac virtuti miraculum adscriberent, & quavis, ut Discipuli Christi agnoscerentur, si in eis dominaretur ambitio, nec magister, nec Deus esset in reverentia, sed contemptu.

31. Cum multa probitate, & iustitia dirigeretur Populus Israel per Prophetas, tamen his, contemptis perierunt à Samuele Regem: Da nobis regem sicut universae habent nationes, ait Dominus ad Samuelem: Audi vocem Populi, & constitue eis regem: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. 1. Reg. 8. num. 7. Bene poterat populus sub Regis Imperio fidelissime Deo servire, & in via mandatorum eius ambulare; obsequium quippe regis non erat impedimentum ad Dei servitium, cur ergo ex eo quod postulavit regem dicitur Deus abjectus; Non te abiecerunt, sed me. Vbi in cor Populi intravit sollicitudo dominandi, consequens erat, ut Divinitatis abjectio, & contemptus eos undique teneret. Cum in nobis dominandi, ac exaltandi ardor accenditur, quidquid aliud etiam Deitatis flammescit, & perit. Noster D. Cyrillus Alexandr. ad cap. 12. Osee ait: Non solum ex Aegypto eduxit Dominus Populum suum, sed etiam custodivit, in vero enim, & naturali Deo colendo perseveravit. Postquam autem sub regno fuerunt, dilectioni erga Deum vale dixerunt. Expende ultima verba Dilectioni erga Deum vale dixerunt.

Arduo domandi quid etiam Dei est extinguit. D. Cyril.

1. Reg. 8.

32. Cum indignarentur Apostoli, quod filii Zebedaei primas Cathedras ambitent, Iesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis quia Principes gentium dominantur eorum. Math. 20. num. 25. Affectantibus Principatum proponit Dominus gentium Principes, cur non proponit principes, qui erant in populo fidelis Hebraeo, quid magis est in principibus gentium, quam fidelibus, dum agitur de dominandi affectu. Principes gentium non solum servantur Idolis, sed ipsimet se ipsos faciunt Idola & tanquam Idola volunt adorari, & venerari contempto omni Dei cultu, quem etiam sibi volunt subripere. Ad hoc tendit D. Chrysostr. homil. 66. in Matthi. ubi ait: Gentium moris esse ostendit prima quaque appetere tyrannica enim haec passio est, & nunquam etiam eximios viros perturbat. In gentibus erat illa tyrannica ambitio, ut primatum in honoribus quaerent etiam contra Deum.

Math. 20.

Dominandi ambitio Dei contemptus.

QUESTIO IV.

Quare Caiphas tam leniter, ac suaviter se ostendit modo cum Apostolis, cum tam crudeliter, ac tyrannicè se habuisset cum Christo Dominum sua passione.

33. Crudelissime super omnem modum se habuit Caiphas in sua passione cum Christo, cum cum

blasphemum dixit Matth. 26. n. 65; & contempserunt Pontificis habitum Ioan. 18. num. 22. & tandem eum ad mortem impiissimam damnavit. At verò modo cum Petro, & Joanne valde lenis, & blandus extitit, nullum in eos asperum verbum protulit, tandemque eos liberos, ac innocuos, & nulla imposita poena dimisit: Unde tanta rei differentia? Meus amantissimus Jesus erat tanquam mansuetus agnus coram rondente obmutescens, solus relictus à suis Ioan. 18. num. At Petrus in praesenti pro se multa faciebat verba, secumque habebat octo millia hominum, qui ejus praedicatione conversi sunt ad fidem tria millia in prima concione cap. 2. num. 41. & modo quinque millia; contuitum eum in praesenti praecipue Dei manus; deinde numerosa populi multitudo, quam pro se Petrus habebat, & timuit Pontifex, ne contra se excitaretur, ut inde aliquid; & grave damnum pateretur; & ita dicitur vers. 21. Dimiserunt eos non invenientes, quomodo punirent eos propter populum, qui eos glorificabat.

Furibunda exardens ira impia Isabel contra sanctum Parentem Eliam, & quod occidisset Prophetas, & Sacerdotes Baal facto juramento misit ad Eliam: Haec mihi faciant Dii; & haec addant, nisi habet hora cras posuero animam tuam; sicut animam unius ex illis. 3. Reg. 19. num. 2. & tamen timore servens Jezabel, nullam diligentiam fecit pro comprehendendo, & tenendo Elia; & quamvis ipse fugisset, poterat impia Regina sua potestate multos milites per varias partes mittere ad eum quaerendum; filij Prophetarum, cum agnovissent, quod Elias raptus esset, miserunt quinquaginta viros fortes per varia loca ad eum perquirendum 4. Reg. 2. num. 16. filij Prophetarum destinant milites fortes, ut magna indagine valeant invenire Eliam, cur ergo etiam ita exardens crudelis Regina (quod facillime poterat exequi) apparatus non ordinat ad persequendum, ac capiendum Eliam? Hic magnus Propheta timuit Iezabelem, ipsaque etiam timuit Eliam, cum videret, quod ille secum haberet omnem populum ex illo miraculoso igne de caelo delapso in ejus sacrificio, ita ut ex imperio Eliae populus apprehenderit omnes Prophetas Baal 850, & eos occidit 3. Reg. 18. num. 40. Cum ergo Elia tam vehementer haberet populum sibi adstrictum ad suam vitam, timuit Iezabel aliquid contra Eliam moliri, ne populi tumultu damnum retorqueretur in ipsam; graveque detrimentum in caput ejus irrueret, & ideo se abstinere à persequendo Elia.

Apertum est Caelum, & venit Christus Dominus vestitus byssino candido, in equo albo, & in capite ejus diademata multa, & ex ore ejus gladius acutus exibat, & in femore in vestimento ejus scriptum erat: Rex Regum, Dominus Dominantium, & exercituum, qui sunt in Caelo sequebantur eum. Apocalypf. 19. num. 14. Exiit Christus in praedium contra Antichristum, ut notavi ibidem quaestione 43. num. 339. & ita dicitur infra num. 19. Vidi Bestiam, & Reges terrae, & exercitus eorum congregatos ad faciendum praedium. Si Dominus exiit in pugnam, ipse solum sufficiens erat ad bellum, cum sit Rex Regum, & Dominus Dominantium, & quamvis caelestes exercitus non essent necessarii ad certamen, & solus Dominus per se ipsum esset abundantissimus, tamen ipsi exercitus caelestes tanquam auxiliaries, ac adjunctrices multum proficiebant ad bellum ad majorem terrorem, ac metum incutiendum adversariis, ut ipsi ex magno militum apparatu maxime pavore tabescant, eorumque vires enerventur Divus Ambrosius. In fine mundi instante, veniet Dominus cum sanctis suis, ut pugnet per ipsos contra Antichristum, & ministros suos.

Qui habet defensor est in bona reverentia.

3. Reg. 19.

4. Reg. 2.

Qui habet secum populum ab aliis timetur.

3. Reg. 18.

334

Apoc. 19.

D. Ambrosius.

For. 4. n. 8. Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus dixit ad eos: Principes populi, & seniores audite.

Num. 9. Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste salvus factus est.

Num. 10. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel quia in nomine Domini nostri IESU CHRISTI Nazareni, que vos crucifixistis, que Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste stat coram vobis sanus.

Num. 11. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis edificantibus, qui factus est in caput anguli.

Num. 12. Et non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub Caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.

Versiones

CUM EXPOSITIONE III.

Verf. 8. Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus, Syriacus: Tunc Petrus Cephas repletus Spiritu Sanctitatis. Ethiopic. Et plenitudo Spiritus Sancti fuit super eos. Cum hic dicitur Petrus repletus Spiritu Sancto denotatur modo nova gratia in eo prater illam habitualem, quam ipse cum ceteris Apostolis accepit in die Pentecostes. Ad opera enim heroica non sufficit communis, & habitualis gratia, sed nova actualis communi major, ac potentior exigunt, & hic adimpletum est; quod Christus suis Apostolis promissit: Cum iudicent vos in Synagogis, &c. ne solliciti sitis quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus Sanctus dabit vobis quid oporteat vos dicere Luc. 12. n. 11.

Dixit ad eos, Principes populi, & seniores audite. Multa cum modestia loquitur Petrus, & ad hos dirigit sermonem, Notat Occumenius tanquam magis capaces; cum enim his solis est agendum. Deinde omittit scribas, & Pontifices, & solum exprimit Principes populi, & seniores, quia ad hos principaliter res pertinebat, & auditis Scribis, ut legis Doctoribus res ad Pontifices deducenda erat.

Verf. 9. Si nos hodie dijudicamur in beneficio, Syriacus si vocatur in jus propter beneficium, quod fuit in homine egrotato, D. Chrylost. Si examinamur de eo quod beneficium homini infirmo. Ethiop. Nos dijudicamur pro auxilio dato. Pagninus, Tygurina Examinamur. Sensus est, si nos hodie discutimur, in quaestionem, examen, jus, vocamur, & examinamur. In beneficio, Syriacus, propter beneficium sanitatis claudo collatum. In quo iste salvus factus est. Syriacus, quo pacto sanatus est, nempe qua vi, virtute, potestate iste sanatus est; quod interrogaverunt Iudices verf. 7. & cum dicunt Apostoli, iste salvus, ex hoc bene probatur conjectura Lyrani, quod claudus simul cum Apostolis incarceratus est, & præsens aderat.

verf. 10. Notum sit omnibus, &c. quia in nomine Domini nostri Iesu Christi, invocatione, ac invocata virtute Iesu Nazareni ex oppidulo Nazareth. Vide supradicta cap. 3. verf. 6. Quem vos crucifixistis, Ethiop. Quem vos suspendistis super lignum. Libertas Apostolica in publico Senatu eis objicit gravissimum crimen, id est mortis Christi: Veritas audent nil timet. Quem Deus suscitavit a mortuis, Syriacus, Quem excitavit Deus a domo mortuorum, Deus Pater, & Christus etiam ut Deus se ipsum suscitavit; quia tamen Iudæi tam altum mysterium

Divinitatis Christi capere non poterant, ideo enim cum interfecerunt, quia se Deum, ac Filium Dei dicebat, ideo, ut notat Occumenius, Petrus Resurrectionem Patri adscribit.

In quo iste stat coram vobis. Arabicus sanus, & integer verè, & non fictè, & verbum stat in claudo, habet peculiarem emphasim, qui antea, ut claudus jacebat, & minime se poterat erigere.

Verf. 11. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis edificantibus, Syriacus, Quem reprobastis, Arabicus Quem contempsistis, Pagninus, Qui rejectus est. Arias, nihil habitus. Locus est ex Psalm. 117. num. 22. Locus iste ad literam intelligitur de Christo Domino Matth. 21. num. 42. Ephes. 2. num. 20. Principes, ac Pontifices Iudæorum, ad quorum officium spectabat edificare in doctrina populum, Christum tanquam inutilem rejecerunt, sed à Deo Patre in illustrissimo loco fabricæ positus est, nempe in capite anguli, ut duos populos, nempe Iudæicum, & gentilem coadunaret, & ex utrisque unam congregaret Ecclesiam.

Verf. 12. Non est in alio aliquo salus. Syriacus, Non est in alio Redemptio. Ethiop. Alia vita. D. Cypri. servari non posse. Arabicus, Neque est salus per quemquam, neque per alium. Non est in alio alio salus, redemptio, vita, cujus invocatione, virtute, & potentia salutem habere, ac expectare possumus tam animæ, quam corporis, nisi in nomine, ac fide Iesu, nomen hic, & aliis locis sæpe ponitur in scriptura pro re nominata, ut sæpe jam dixi.

QUÆSTIO V.

Quare Divinus Petrus tam profundè, & altissime respondet eorum nequitiam arguens, & castigans?

Incarcerantur Petrus, & Ioannes, vocantur in Senatum, quia claudi miraculum prædicabant factum in nomine IESU Nazareni, ejusque gloriosam resurrectionem testificabantur, de quo maxime dolentes erant num. 2. seu, ut legitur Syriacus. Ex candentes erant, seu D. Chrylost. male ferentes.

Dolebant maxime, quod prædicarent virtutem nomi IESU, ita dicitur infra verf. 18. Denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine IESU. At è contra Petrus virtutem hujus sanctissimi nominis alta voce annuntiat num. 12. Nec enim aliud nomen est sub Caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. At proinde gloria, & exaltatione ipsius nominis eorum nequitiam, ac malitiam confudit, ac castigat.

Ait Regius Vates Psalm. 117. num. 12. Circumderunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia ultus sum in eis. D. Hieronymus legit: Extincta sunt, quasi ignis in spinis, explicat Lorinus invidia, & confusione, gloria, ac exaltatione ipsius nominis Dei, sic invidia, ac ignominia sua tabescunt, ac consumuntur tanquam ignis exardens in spinis, ita in nomine Domini, seu cum nomine Domini ultus sum in eis, illius nempe sublimitate, ac exaltatione.

Secundo agrè ferebant Christi Resurrectionem, ut dicitur verf. 2. Dolentes, quod docerent populum, & annuntiarent in IESU, Resurrectionem ex mortuis, E contra vero tam Petrus hic, quam infra Sacri Apostoli verf. 33. dicitur: Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri. Scribitur virtute magna ob multam repugnantiam, & contradictionem quam Iudæi faciebant contra ipsam resurrectionem, & ideo militibus custodibus

dibus sepulchri copiosam pecuniam dederunt, ut veritate tacerent, & gloriosam resurrectionem non publicarent Matth. 28. n. 12.

Sed altà Dei providentiâ ipsa Christi Resurrectio ordinata est ad majorem Christi gloriam, confusionem, ac penam suorum inimicorum. In persona Christi ait David Psalm. 31. num. 18. Inimicos ejus induam confusione, super ipsum efflorescit sanctificatio mea, Multi ex Hebræo legunt: surgebit corona ejus, ut explicant Arabici, noster Incognitus. In die Resurrectionis ejus maxime fulget corona gloriæ ejus, à cuius contractu inimici ejus induti sunt confusione, pudore, ac verecundia, cum talem, ac tantum Dominum morte afficerent.

Dicitur Psalm. 3. num. 6. Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi; quia Dominus suscepit me. Et subdit: Quoniam tu percussisti omnes adversarios meos sine causa. Christus Dominus surrexit cum glorioso, eximioque triumpho, ac majestate, quia Dominus suscepit eum; quia Aternus Pater eum replevit, ac remuneravit; & idem tu percussisti omnes inimicos meos sine causa. Percussit omnes, qui eum innocenter, & sine causa percusserunt, & persequuti sunt, eosque confusione, ignominia tantorumque malefactorum pudore percussit. Glossa Ordinaria: Regnante Ecclesia inimici confusione percussisunt.

Ait Regius Vates Psalm. 92. num. 1. Dominus regnavit decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Bis dicitur Dominus indutus; Primo carne Virginea in utero Sanctissimæ Mariæ, quæ fuit ei pro eximio decore; Secundò induit fortitudinem in die suæ Resurrectionis: non de primo indumento carnis dicitur, quod præcinxisset se, quia per mortem fuit depositum; at de secundo indumento fortitudinis in die suæ Resurrectionis eo perpetuo duraturo ad vincendas tribulationes passionis, prosternendos, & destruendos suos adversarios, dicitur præcinxit se. D. Epiphanius tom. 2. ad verf. Hæres. ait: Quemadmodum is, qui super humbris præcinctus est, adstringit indumentum ad lumbos superfluum speciem si mans: Sic primum decorem prope adventum in carne, deinde fortitudinem induit, ubi resurrexit ex mortuis non amplius ad passum humanitatis ipsius venit, & amplius ad flagella: quia ex tunc præcinxit se fortitudine adversus omnes potestates.

QUÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus dicitur lapis angularis in capite Anguli?

In limine quaestionis inquirendum est: Quinam dicitur lapis angularis? Villalpandus tom. 2. in Ezechiel. pag. 477. existimat esse illum lapidem, qui est in supremo, ac summo loco edificij. Tamen melius dicendum arbitror cum communi sententia esse illum lapidem unum, super quem totum edificium erigitur, ac fabricatur: hoc nos docet Isaias 28. n. 16. dicens: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, & Paul. 2. ad Ephes. num. 20. quod omnes fideles sunt super edificant super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, & inde Christus à Paulo, ac Patribus passim appellatur fundamentum Ecclesiæ. Ita Lorinus, Cornel. & alij.

Hic locus desumptus est ex Psalm. 117. num. 22. quamvis Rabbini, & Chaldæi explicent præsentem

locum de Davide, qui fuit rejectus à Saule, ac suis Davidicis cohærentibus, deinde factus Rex tanquam lapis angularis Synagogæ connectens, & copulans Judam, & Israël, nempe tam duas, quam decem tribus faciens inter se unum populum, unamque rempublicam, quibus imperabat. & quorum erat Rex: & solum de Davide potest explicari locus, utpote qui extitit figura, & typus Christi.

Locus iste genuine, & ad literam est intelligendus de Christo Domino. Sic de se ipso illum exposuit JESUS Matth. 21. num. 42. Sic & ipsum explicat D. Petrus in præsentem, & in sua prima Canon. cap. 2. 7. D. Paul. Ephes. 2. num. 20. & omnes Patres ab illa differentia apud Lorinum, nam Christus Dominus rejectus à toto populo Judaico, non sic Petrus David; quia licet haberet sibi contrarium Saulem, & ejus assecras, tamen habebat pro se, & qui ejus causam ageret Ionatham, Micholem, & tota domus Juda sequebatur David 2. Reg. 2. num. 10. At Christus Dominus totum populum Judaicum habebat sibi adversarium, nempe summos Sacerdotes Pontifices, Magistratus, ac seniores populi Scribas, & Phariseos, qui erant edificantes. ut in lege, ejusque præceptis instruerent, ac edificarent populum: ab ipsis edificatoribus Synagogæ reprobatur Christus: in ipso tanquam lapide angulari Deus Pater coadunavit utrumque populum Judaicum, & gentilem in una fide, in uno Baptismate.

Frequenter Christus Dominus in Scriptura multis in locis dicitur petra. 1. Corinth. 10. num. 4. Petra autem erat Christus, & petra fortissima, quæ nunquam contumetur, & duratota est in æternum, & ita appellatur saxum durissimum Deuter. 32. n. 13. Olem de saxo durissimo, scilicet Christo Domino, ut explicat D. Gregor. homil. 26. in Evang. dicitur & lapis angularis, ut patet ex locis citatis Scripturæ. D. Hieronym. lib. 5. in Isaiam cap. 19. ait: Idioma scripturarum est, ut angulare pro regno ponant: et quod populos contineat quasi in tota domo firmamentum sit. Unde Christus Dominus duorum populorum parietes continens lapis dicitur angularis, quia duos continet, copulat in se.

Secundò Arnobius ad citatum Psalm. 117. sic ait: Si dum edificari, pervenerunt ad lapidem angularem, qui duos parietes amplectebatur, ut duos conderet in semetipso, quia ipsi in uno pariete stare volebant, reprobaverunt lapidem, qui non erat aptus ad unum, sed ad duos. Valde mirum quod præclarissimum lapidem edificantes reprobassent, quia dum operi incumbunt Iudæi, habuerunt lapidem pretiosum, & apprimè expolitum, qui solus totius edificij poterat esse illustrissimum ornamentum, tamen edificantes altà Dei providentiâ, nescientes quid faciebant, reprobaverunt, quia ille lapis meus Jesus non erat ad unum tantum, sed ad multos ditandos, ac locupletandos suâ gratiâ, ac donis cælestibus: quia non erat aptus ad unum, sed ad duos. Dei dona non in uno coarctantur, sed ad omnes, ac plures se extendunt, pro quo vide multa in Sybillario, verbo Domini, in nostris libris.

Tertio Arnobius citatus ait: edificantes erant Iudæi super universam faciem terræ; omnes autem gentes in destructione Idolorum morabantur, soli Iudæi sub omnipotente, & vero Deo edificationem legis, & prophete tractabant. Ecce qui edificabant, & qui destruebant, qui sub omnipotente Deo vivebant ei servientes ejusque divinis mandatis obtemperantes, doctrinamque Prophetarum sequentes, hii verè edificant in Christo, ut cum ipso perpetuo a se sibi edificent in Cælo. qui autem non Deo, sed Idolis, ac mundo adherentes non edificant, sed in ruinas, ac precipitium ruunt.

Ait